16

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
Obſtructione Fluxus Menſtrui;

QUAM
DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
CORNELII VAN ECK,
J. U. D. & Civilis, atque Hodierni Juris
Profeſſoris Ordinarii;
NEC NON
*Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ
Facultatis MEDICÆ decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,
Eruditorum Examini ſubjicit
PETRUS BERGST. Buxtehud-Bremenſ.
Ad diem 28. MAJI, *loco horiſque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiae Typographi. cIↄ Iↄ cc XVI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

Obſtructione Fluxus Menſtrui;

PRÆFATIO.

Quam infinitis mulieres infirmitatibus & mutationibus ſint obnoxiæ, unusquisque qui operam ſuam Medicinæ addixit quotidie experitur, & illas hanc ob cauſam commiſeratione maxime dignas mecum exiſtimat; præter innumeros enim quos cum viris communes habent morbos, aliis adhuc atrociſſimis ratione uteri, partiumque propagini inſervientium excruciantur, qui interdum tam Medico quam amicis ſatis horrendi atque adſpectu terribiles apparent, & diris ſuis ſymptomatibus ægris ſummam moleſtiam creant. Inter hos locum ſi non primum haud tamen ultimum ſibi vindicat ſuppreſſio purgationis menſtruæ: quot enim hæc non miſerias & calamitates ſecum ducit? quot poſt ſe non relinquit malorum catervam? Quotque denique in hujus curatione à multis non committuntur errores. Hæc omnia dum mecum per-

pendi amore proximi ductus hanc materiam loco Diſputationis Inauguralis eruditorum examini ſubjicere, & pro virium mearum ratione morbi hujus hiſtoriam recenſere & examinare volui, quod: ut feliciter ſuccedat Deum T. O. M. ſupplici mente veneror.

THESIS I.

Dicitur Medicis purgatio menſtrua ille fluxus ſanguinis, qui in omni muliere ſana ſingulis menſibus, a tempore quo non amplius creſcit corpus ex pudendis ſtillare obſervatur. Cujus veram naturam, cauſasque quibus integer manet, quibusque ſupprimitur, ut rite perpendantur, pauca, quatenus huc ſpectat de ſtructura earum partium ex quibus prodit in antecedenti præferenda ſunt.

II.

Uterus in pelvi (in mulieribus latiori) inter veſicam & inteſtinum rectum locatus, pluribus fibris carneis vel filamentis, cellulas, loculos, infinitosque tabulos quaſi formantibus & anfractuoſo tranſitu invicem cohærentibus conſtat; quæ ſtructura facile unicuique apparebit, ſi modo uterus gravidæ diſſectus dum omnia adhuc diſtenta ſunt inſpiciatur, in non impregnato enim dum partes hæ contractæ non ita oculis patent. Hic apparatus duabus arctatur membranis, quarum exterior formatur a peritonæi lamella exteriore, inferior vero mirabili mechanica ex meris veluti meatibus invicem adunatis conflatur, qui in menſtruantibus ſanguine diſtenti clare patent, & qui eo tempore ſanguinem menſtruum excernunt.

III.

Hic uterus §. 2. deſcriptus cum ſua vagina, cujus ſtructura ab uteri non differt, firmiſſime nexus ſuis ligamentis in homine ratione horizontis perpendicularem, in brutis vero parallelum habet ſitum, in quo

ab

ab omni parte ſemper fere æqualiter ſuſtentatur, a parte ſuperiore lamella peritonæi interiore ſcuto veluti obtegitur.

IV.

Vaſis quamplurimis abundat arterioſis ſcilicet venoſis & lymphaticis; arteriæ ab hypogaſtricis & ſpermaticis productæ ad latera ejus anfractuoſe poſitæ ramulos haud paucos ad illum dimittunt, quorum aliqui anteriorem, aliqui poſteriorem & internam ejus partem ductibus tortuoſis & ſerpentinis perambulant; venæ, a truncis eodem quo arteriæ nomine dotatis producuntur, & eodem modo ut de arteriis dictum ad uterum ramos ſuos diſtribuunt; Lymphatica vero vaſa nihil ad uterum adferunt, ſed lympham a ſanguine ſic ſecretam ad receptaculum lumbare deferunt. Hæc vaſa, arteriæ ſc. cum arteriis, venæ cum venis utriusque lateris anaſtomoſes faciunt & plexibus reticularibus cellulas n. 2. deſcriptas diſtinguunt. De nervis ceterisque ad organa generationis ſpectantibus in præſenti agere noſter non eſt ſcopus, hinc B. L. remittimus ad Celeberrimos Anatomicos Graafium, Ruyſchium, Swammerdamm. qui prolixe & accurate ſatis hæc deſcribunt.

V.

Ex dictis facilius naturam cauſasque fluxus menſtrui indagari licet, ſi præterea conſideramus, corpus humanum variis mutationibus obnoxium, diverſis temporibus creſcere, ſtare & decreſcere, quod quotidiana docet contemplatio, in infantibus, adultis & ſeneſcentibus; hæc autem tempora ob infinitas cauſas quibus vel accelerantur vel retardantur mire inſuper ob ſexus diverſitatem & corporis conſtitutionem variant, mulieres enim citius ob laxitatem & humiditatem corporis ad terminum ſuæ accretionis perveniunt quam viri, notante Hipp. in Lib. 1. de Victus Ratione Sect. IV. p. m. 350. ſeqq.

VI.

Poſtquam itaque mulieres ad ſtatum illum quo non amplius accreſcunt

 per-

pervenerunt majorem quantitatem humorum quam ad corporis nutritionem, naturalesque excretiones exercendas requiritur conficiunt, quæ deinde in gravidis fœtui in utero nutriendo & ſuſtentando impenditur, in virginibus & non impraegnatis vero intra corpus manet, & illud in circulo pervadit.

VII.

Cum jam ex perſpiratione Sanctoriana pateat, perſpirationem in corporibus firmis & robuſtis majorem in debilibus & laxis vero minorem eſſe, hinc ſequitur in mulieribus, quippe quæ laxo & debili corpore præditæ, adeoque humoribus ad exteriora pellendis minus aptæ ſunt, perſpirationem parvam eſſe, & dum quotidie aliquid ingerunt in corpus, neceſſario debere augeri quantitatem humorum, vaſaque omnia indies magis magiſque repleri & diſtendi, & hæc impletio in vaſis uterinis maxime fit.

VIII.

Humores ſic intra corpus accumulati vaſa ſanguinea, ſeroſa &c. dum ita diſtendunt, inde fit celerior humorum circumductio, cor citius & fortius ſe contrahit ob copiam humorum propellendorum, vaſa dilatata conantur ſe reſtituere in priſtinum ſtatum, & ita hæc actio in humores, humorum in vaſa, vaſorumque iterum in humores eo uſque augetur, donec vaſa uteri violenta hac preſſione & actione dilatantur, & illa vaſa quæ antea lympham vel ſerum tantum vehebant nunc admittunt ſanguinem eumque in cavum uteri tranſmittunt; Hic ſanguis cum per pudenda effunditur dicitur fluxus menſtruus, qui iterum ceſſat imminuta quantitate humorum ſuperflua, & qui redit iterum ſtato tempore in ſanis, cum eadem plethora quæ fluxum hunc cauſarat de novo nata eſt.

IX.

Conſideratis jam illis quæ efficiunt & naturaliter hic fluxus n. 1. deſcriptus fiat, jam quid obſtructio illius ſit examinandum. Comprehendo autem ſub nomine obſtructionis menſium, quando ille fluxus

qui

qui naturaliter adeſſe ſolet tempore pubertatis plane deficit, vel ſi antea ordinem ſolennem aliquoties ſervarit, & a variis cauſis jam ſuppreſſus ſit & non appareat, ubi tamen exemtas illas cauſas volo, cum ætate ad ſenium jam inclinante fluxus iſte ceſſat, aut cum ſanguis qui profundi deberet ad nutritionem fœtus, vel in utero adhuc latitantis, vel in lucem jam editi, atque lac ex mammis ſugentis impenditur, quippe hæ cauſæ ſi faciant ut non appareat menſium fluxus, minime opus eſt ut illæ mulieres Medicorum auxilium implorent.

X.

Cauſæ hanc §. 9. deſcriptam obſtructionem efficientes cum variæ ſint & quamplurimæ, & ex harum accurata cognitione dependeat tota mali curatio, prius antequam ad illam progrediar in has inquirendum eſſe puto. Diſtinguuntur autem optime in illas cauſas quæ (α) a toto corpore, (β) a ſolo utero dependent. Si numerus (α) peccant vel ſolida vel fluida; ubi ſolida cauſam dant ſtructura & habitus corporis vel nimium laxa & debilis, vel nimis robuſta & in exceſſu fortis ubi fluida illam cauſant vel plethora adeſt, vel humores nimis viſcidi & cacochymici ſunt, vel licet boni humores per varias cauſas alibi vertuntur. Si (β) vel viæ per quas ſuanguis menſtruus eliminari deberet ſunt obturatæ & deſtructæ a variis malis, vel vaſa illa licet ſint aperta & ſana, fæmina eſt imperforata.

XI.

Quomoda ſolida hanc obſtructionem cauſari poſſint, patet, ſi ponamus humores corporis bonos, vaſa vero in ſe ſola conſiderata evaſiſſe nimis debilia; cum jam ex Anatomia & Phyſiologia pateat, quod circulatio humorum pendeat ab æquabili vaſorum vi, robore & preſſione quibus deficientibus, humores ſolo vaſorum vitio in variis ſtagnationi aptis locis ſiſtuntur, lentiuſque ſuum circulum obeunt: hoc verum eſſe patet quoque ſi conſideramus menſes obſtrui ex omnibus illis cauſis, quæ corpori debilitatem inducunt, frequentiſſime enim his temporibus id experimur, a nimio uſu potus Thee & Coffee domicellas laborare

obſtructione menſium potus enim ille aquoſus ex ſola conſuetudine tanta copia ingeſtus ſolitum & debitum tonum vaſis adimit, illaque plane debilia reddit ut accurate obſervat. Auct. Tr. de Thea Heluet. qui continetur ad fin. Tr. Wepfferi de Cicut. aquat. p. 23. ſic quoque ſomnum nimis diu protractum, quippe corpus debilitans cauſam ſuppreſſionis menſium eſſe poſſe obſervavit Bottoni in lib. Gynæceorum c. XXII. p. m. 352.

XII.

Solida corporis quoque impediunt menſium fluxum ſi nimis fortia robuſtaque evaſerint, vel ex nimio continuatoque motu muſculorum vel ex propria corporis idioſyncraſia, ſi enim per ſuum robur continuo ſuperfluum expellunt per inſenſibilem tranſpirationem per ſudores aliasque excretiones, nulla naſcitur plethora, unde ex hoc humorum defectu menſes non fluunt; hanc ſententiam mecum confirmat Ætius l. XVI. c. 55. Galen. de ſympt. cauſ. c. IV. p. m. 29. Objiciet forſan quis ſuppreſſionem ex hac cauſa ortam non requirere opem medicam, huic reſpondeo, ſi conjecturæ locum concedere velit, an non in ejuſmodi corporibus hæc eadem cauſa, ſit quoque cauſa ſterilitatis, experientia enim docet, quod ſi affluxus ille humorum qui ad conceptionem requiritur a natura denegetur, certo illam fruſtrari, ſterilitatemque ſequi, hinc omnino tum conſilio Medici & ope indiget.

XIII.

Poſtquam jam vidimus cauſas obſtructionis menſium a ſolidis ortas, jam quomodo fluida peccare poſſint inquirendum. Occurit primo plethora, hanc quidem antea adduximus ut cauſam quæ menſes profluere facit, at illam quoque effectum plane priori contrarium producere poſſe patet, ſi conſideramus a lauta nimis vita aut alia vix ſenſibili cauſa colligi boni cruoris eam quantitatem, quam vaſa propellere vix ſunt apta; quantitas enim humorum dilatavit vaſa majora, dilatandoque majora tranſitus impeditur per minora, unde illa mutatione, quam humores circulando per vaſa minima acciperent, denegata, illis inducitur lentor, eoque inducto, ſequitur obſtructio menſium. Hæcce autem licet propria

pria edoctus experientia affirmare vix auderem, niſi mecum conſentientem inveniſſem Cl. Foreſtum l. xxviii. de Morb. Mulier. Obſ. iv. Riverium in Obſ. Cent. i. Obſerv. ii.

XIV.

Alteram cauſam vocavimus ſi adeſt viſcoſitas humorum ſive cacochymia, quæ impedit quominus per debita vaſa tranſire poſſint, dum enim particulæ humorum maſſam conſtituentes mole & figura mutantur, vaſa hiſce recipiendis non amplius ſunt capacia, lentior hinc fit circulatio, unde neceſſario ſequitur ſtagnatio, menſium ſuppreſſio & reliquarum functionum læſio; ſic ab aqua frigida epota, a fructibus immaturis & oleribus commeſtis obſtrui menſium fluxum teſtatur Sennertus de Mulier. affect. l. iv. p. ii. ſ. ii. cap. 3.

XV.

Tandem 3 impeditur menſium fluxus, dum humores qui ad uterum naturaliter fluere deberent, ad alias partes ruunt, per quas licet interdum ſuppleatur defectus fluxus menſtrui per uterum, tamen ſæpe poſtea evadit morboſus, & Medici opem requirit. Ne autem alicui dubium videatur quod hæc humorum averſio poſſit eſſe vera cauſa ſuppreſſionis menſium, juvat conſiderare, quod omnes ſecretiones corporis ex uno eodemque fonte fiant, nimirum ex ſanguine arterioſo, quod ſi verum, ſequitur etiam ut & veriſſimum eſt; aucta una ſecretione, alteram ſecundum proportionem minui. Adſunt autem hujus rei exempla plurima paſſim apud auctores, ſic Ephimerid. German. D. iii. A. i. Obſerv. 88. recenſent exemplum ubi puellæ per ſcapulas ſcarificatas prodierunt. Ex papillis fœminæ cuidam menſtrua exiviſſe obſeruat Stalpart van der Wiel in Obſerv. Rarior. Cent, i. Obſ. 79. Per nares & os &c. hanc excretionem factam fuiſſe teſtis eſt Amat. Luſitanus in Centuriis ſuis, & paſſim apud alios auctores plura de his leguntur.

XVI. Jam

XVI.

Jam conſideratis cauſis quæ a corpore toto quoad ſolida & fluida ortum ducunt, reſtant pauca dicenda de iis, quæ ob vitium & malam conformationem uteri ſupprimunt hunc fluxum, ſi enim ea non obſervantur a Medico, cum ſummo incommodo & periculo manent incurabiles miſeræ illæ; hæ vero cauſæ vel ad uterum & vaginam ſimul, vel ad vaginam ſolam ſunt referendæ. Ponamus jam in corpore omnia quoad cetera bona & ſana & uterus cum vagina tempore quo fluunt menſes exponitur frigori, ex hoc vaſa conſtringuntur & menſium ſuppreſſio ſequitur quem ſtatum Galenus vocat uteri conſtipationem. Aut ſi uterus & vagina cruſta obducuntur ulceroſa, idem fit, ſic quoque menſes aduſtos memorat Sennertus ex nimio calore, cum ſc. tempore hyberno fœminæ incenſos carbones ob frigus arcendum ventri inferiori ſupponunt. Vagina ſola efficit obſtructionem ſi apertura deſtituatur per quam hæc materia eliminari poſſit.

XVII.

His in univerſum præmiſſis ex relatione ægræ & ſtatu præſenti faciIlime cognoſcitur hoc malum, quod pro varietate cauſarum diverſa habet concomitantia ſymptomata. In nonnullis enim adeſt dolor lumborum acerrimus, calor per totum corpus, rubor faciei & oculorum intenſus, dolor capitis aliquando ſummus & cum delirio, aliquando febris, ſomnus inſomniis eſt interruptus cum pavore, animus inquietus & dejectus, in aliis laſſitudo inſuperabilis cum averſione a cibis, nauſea, poſt cibos aſſumtos interdum vomitus ſubſequitur, in aliis adeſt pica, deſiderium ſummum ad coitum. Ut alia prætermittam mala concomitantia, quæ pro duratione ſuppreſſionis augentur.

XVIII.

In Prognoſi jam notandum non carere hoc malum periculo nam non ſolum interdum poſt ſe relinquit miſeras ægras, ſed plane ad mortem illas

illas ducit. In puellis tamen & quæ nunquam antea paſſæ ſunt fluxum hunc, minus periculi adeſt, contra vero qui jam illi ſubjectæ fuerunt. Quo diutius menſes ſubſtiterunt eo difficilius revocantur, imo interdum nunquam, ſed miſeras per totam vitam aliis affligunt malis, aliæ n. ſteriles, aliæ leucophlegmaticæ, aliæ hydropicæ, aliæ melancholicæ evadunt, imo quod memorabile quibuſdam barbam erupiſſe, & viris ſimiles inde evaſiſſe obſervatum legimus, vid. Hipp. Obſ. de Phaetuſa 6. Epid. S. 8.

XIX.

Hinc itaque ſi malum non nimis ſit inveteratum curatio haud difficulter ex cognitione ſtatus ægræ præſentis & cauſarum præcedentium inſtituitur. Si enim plethora adſit ſanguis ſuperfluus Venæſectione educatur in talo vel poplite inſtituta, qua non ſolum minuitur copia diſtendens vaſa ſed ſanguis etiam verſus inferiora determinatur. Si ex Cacochymia ſupprimatur menſium fluxus, poſt miſſionem ſanguinis ſecundum ſtatum ægri adhibeantur, alterantia diverſa, reſolventia, aperitiva, anticachectica ex quibus varia Medicamenta vina Medicata, decocta, &c. præparari poſſunt, quæ ex fontibus ſuis facile educuntur. Utero externe applicentur fomenta emollientia & uterina, frictiones quotidie linteis calidis atque aſperis inſtituantur. Si humores alibi feruntur poſt venæſectionem adhibeantur balnea l. inſeſſus, termæ, lotiones pedum.

XX.

Si ſolida ſuum tonum amiſerunt, ut nec humores propellere, nec ſanguinem bonum conficere valeant. Nec Venæſectio nec moventia fortia adhibere juvat, unde a leviter roborantibus incipiendum eſt, proſunt in hoc caſu diæta bona ex alimentis eupeptis inſtituta, & motus muſcularis a minimo gradu ad ſummum inſtitutus, dentur vina auſtera roborantia atque chalybeata, &c. ſi vero contrarium ſit & robur ſolidorum impediat quominus plethora naſci poſſit pro menſtruo fluxu neceſſaria, diæta ſit tenuis, potus aquoſi, balnea adhibeantur, abſtineant ægræ a laboribus, in aere frigido & humido morentur.

XXI.

Tandem ſi a frigore vel calore partium vaſa ſint conſtricta & obturata adhibeantur fomenta externa emollientia calida, corpus a frigore & nimio calore conſervetur, chyſmata emollientia injiciantur. Si cruſta ulceroſa partes obduxerit poſt externa dicta applicata emollientia, decocta quoque leviter abſtergentia & conſolidantia & peſſaria ejuſdem naturæ adhibeantur. Quæ tandem obſtructio menſtruorum oritur ab imperforata vagina, vel a mala conformatione uteri, illa manum Chirurgi requirit, hinc hujus curationem illis relinquimus, & ſic huic diſſertationi imponimus.

F I N E M.